



Nos

fr. Gerard Francisco Timoner III

Sacræ Theologiæ Professor
ac totius Ordinis Prædicatorum
Humilis Magister et Servus

**LITTERÆ CONVOCATIONIS
AD PROXIMUM CAPITULUM GENERALE**

Prioribus provincialibus et conventualibus
omnibusque singulis Fratribus, Monialibus et Sororibus
una cum omnibus membris Familiæ S. Dominici

SALUTEM ET BENEDICTIONEM

Capitulum Generale Diffinitorium anno Domini MMXXII in domo nostra Sancti Dominici apud Tultenango celebratum, statuit sub n. 385: « *Declaramos que el siguiente Capítulo General, que será Capítulo General de Provinciales, se celebrará en Cracovia, Polonia, de julio a agosto de 2025. Posteriormente se fijará la fecha exacta.* »

Cum igitur ad Nos pertineat Capitulum Generale convocare (cf. LCO 413 § II), presentibus litteris ipsum convocare decernimus.

Itaque, auctoritate officii Nostri, Capitulum Generale Priorum Provincialium indicamus a die XVIII mensis Iulii a.D. MMXXV in Conventu Ss.mæ Trinitatis Cracoviensi.

1. Omnes fratres capitulares a die XVII mensis Iulii in dicto conventu adsint. De hora adventus Secretarium generalem capituli moneant et litteras testimoniales afferant.

Ad maiorem claritatem de vocalibus proximi Capituli Generalis Priorum Provincialium celebrandi, referimus LCO 409:

« In capitulo generali priorum provincialium coadunantur et vocem habent:

1° magister Ordinis;

2° ex-magistri Ordinis;

3° singuli priores provinciales;

4° singuli vice-provinciales;

5° delegati vicariatuum provincialium, selecti ex vicariis provincialibus ad normam n. 409-bis;

6° ex fratribus directe assignatis sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, unus delegatus si cuncti fratres professi sint minus quam centum, duo vero si sint centum vel plus, selecti ad normam n. 409-ter.¹ »

2. Ad normam LCO 409-bis, Consilium generalitium disposuit ut provinciæ quæ sequuntur delegatos de quibus in LCO 409, 5° ad Capitulum mittant, videlicet: Hispaniæ, Poloniæ, Portugalliæ, et S. Ioseph in SFAS. Si provincia vicariatuum provinciale unicum habet, vicarius illius

¹ In die convocationis, 100 fratres hoc modo assignati sunt; delegati eorum igitur duo sunt.

vicariatus delegatus erit; si autem provincia plures vicariatus habet, delegatus e vicariis provincialibus eligatur a fratribus assignatis in conventibus vicariatuum vel conventibus ipsius provinciæ extra fines provinciæ, secundum statutum provinciæ.

3. Die XIX mensis Iulii, Capitulum incipiet cum celebratione Missæ de Spiritu Sancto. Suffragio lato de modo procedendi (LCO 417 § II, 1º) fratres capitulares, ante initium laboris commissionum, statuunt de calendario et de horario.

Valde desiderabile est ut Capitulum exitum suum attingere possit die VIII Augusti, in qua solemnitatem Sancti Patris Domnici celebretur, et fratres capitulares die IX Augusti discedant. Capitulum tamen diem suam finalem determinabit.

4. Sicut iam in precedentibus Capitulis generalibus factum est, eo præsertim fine ut expensis parcatur, socius Priorum Provincialium libenter dispensamus quominus ad Capitulum accedant quatenus vocem non habent ad normam LCO 520 § III.

5. Secretarius generalis Capituli, ad normam LCO 414, institutus est fr. Jakub Bluj, Provinciæ Poloniæ filius.

6. Fratres capitulares utentur lingua latina, anglica (*English*), gallica (*français*) aut hispanica (*español*).

7. Quorum est petitiones vel quæstiones Capitulo proponere (cf. LCO 415 §§ II et III), ante diem XIX mensis Ianuarii a.D. MMXXV (cf. LCO 415 § IV, 1º) et quidem forma in LCO præscripta (cf. LCO 415 § IV, 2º) eas ad Curiam generalitiam mittant, ita ut quam primum singulis vocalibus Capituli communicentur et Magister Ordinis opportunas commissiones pro diversa materia instituat (cf. LCO 415 § V, 1º).

8. Omnibus fratribus, monialibus, sororibus nostris et laicis commendamus ut preces pro bono exitu Capituli ad Deum fundant, nostræ liturgiæ facultatibus fruentes:

– *in Missa conventuali*: Missæ pro variis necessitatibus ex Proprio Ordinis (Pro Capitulo vel Concilio, Pro Conventu spirituali vel pastoralis) vel Missæ pro variis necessitatibus vel ad diversa ex Missali Romano (Pro Concilio vel Synodo, Pro evangelizatione populorum, In conventu spirituali vel pastoralis); Missæ votivæ (De Spiritu Sancto, De Sancto Patre nostro Dominico ex die 8 Augusti); orationes fidelium;

– *in Liturgia Horarum*: intentio specialis in precibus ad Laudes et Vesperas;

– *in orationis coadunationibus*.

Valete in Domino. Peramanter benedictionem S. P. Dominici vobis impertimus, atque nos et socios nostros una cum ceteris Curiae Generalitiæ fratribus vestris precibus commendamus.

Datum Romæ, ex Curia Nostra Generalitia apud Sanctam Sabinam, die VII mensis Novembris a.D. MMXXIV, in festo Omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum.


fr. Raúl Gómez Sánchez OP
a secretis




fr. Gerard Francisco Timoner MI, OP
Magister Ordinis

Prot. n. 50/22/487 Krakow_2025